



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. Circa Humanitatem assumptam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

capite breviter (nec enim magno molimine opus est) ostenderetur.

§. I.

Tentatio I. Circa Humanitatem assumptam.

I. **S**implicius vir ceteroqui doctus dum magnitudinem simul Divinitatis, & vilitatem Humanitatis accuratius considerat, imaginari sibi non potest, quòd vel conveniens, vel decorum fuerit, Deum ad eò se demittere, ut Humanitatem sibi ætissimo unionis hypostaticæ vinculo copularet. Queritur, quomodo hæc illi convenientia persuadenda sit?

Responsio.

II. Primò illi ostendatur, Incarnationem istam verò convenientissimam fuisse respectu DEI, quia, ut sapienter advertit S. Damascenus lib. 3. orth. fid. cap. 1. per illam demonstratur bonitas (quatenus non despicit proprii plasmatis infirmitatem, sed eidem se summo modo communicavit) justitia (teste Apostolo Rom. 3. dicente: quem, Christum, proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem Justitiæ suæ) sapientia (quatenus inventi difficillimi pretii facillimam solutionem) & potentia infinita, cum nihil majus excogitari possit, quàm Deum hominem fieri.

III. Secundò ostendatur, eandem Incarnationem etiam respectu Verbi divini convenientissimam fuisse, quia decentissimum fuit, ut immutabiles & naturalis imago Patris humanum genus ad imaginem

nem DEI factum, & per peccatum corruptum pristino suo nitore restitueret; & ut Persona, quæ in SS. Trinitate gignitur, etiam in terris nasceretur, sicque in terris diceretur Filius hominis, qui in cælo est Filius æterni Patris: item ut homines efficerentur Filii adoptivi & hæredes regni cœlestis per eum, qui est Filius naturalis Patris æterni, ut S. Thomas q. 3. a. 8. discurret.

IV. Tertio ostendatur, naturæ quoque humanæ convenientissimam fuisse, quia vel maximè decebat, ut, sicut homo offenderat, ita & homo satisfaceret: & major dæmonis confusio erat, si ab humana natura, quam seduxerat, vinceretur; præterea humana natura tota, quantum in se erat, ceciderat, & decepta fuerat, & maxima ex parte per alienam voluntatem peccaverat, quæ omnia sicut in Angelica natura non reperiebantur, ita suadebant humanam potius, quàm illam esse assumendam.

V. Quarto ipsi quoque universo fuisse convenientem ex eo patet, quòd sic auctum sit nobilissimo entis genere, scilicet unionis hypostaticæ, unde factum est, ut universum omnes rerum ordines, puta naturæ, gratiæ, & unionis hypostaticæ comprehenderet; & sicut in substantiis reperitur una natura cum una hypostasi, & alia cum tribus, ita plures quoque naturæ in una hypostasi reperirentur. Et tandem ut sicut datur homo productus sine viro & muliere, ut Adam: & productus ex viro & muliere, ut Abel: & productus ex viro sine muliere, ut Eva: ita quoque homo ex muliere sine viro produceretur.

